





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O INAUGURALIS JURIDICA  
DE

DOTALIBUS  
ECCLESIAE,  
vobis  
Psarr-DOTALen/

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
PHILIPPO WILHELMO,  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRA CESAREÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO, NEC NON MÉTROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUN-  
TINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO. AC CIVITATIS TERRITORIIQUE

EFURTENSIS PRO-PRINCIPE,  
AUTORITATE ET CONSENSU AMPLISS. FACULT. JURIDICÆ,  
SUB MODERAMINE

DN. ERNESTI TENZELL, J.U.D.

FACULTATIS JURIDICÆ p. r. DECANI, JUDICII PROVINC. ADSESSORIS,  
AC CIVITATIS ERFURT. CONSULIS, ET STNDICI PRIMARII ETC.  
PATRONI AC PROMOTORIS SINGULARITER COLENDI,

PRO LICENTIA,  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, IMMUNITATES,  
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA


RITE CAPESSENDI,  
IN AUDITORIO FCTORUM MAJORI,  
HORA VII. MATUT. DIE XIX. MENS. OCTOBris, A. M. C. M DCC XVI  
SOLEMNITER VENTILANDAM PROPOSIT

AUTOR

M. ANDREAS Pechtel/ WEICHAU LUSAT.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGE.







*Q. D. B. V.*

## P R A E F A M E N.



Um in tam profundo  
Jurisprudentiae tam  
Civilis, quam Eccle-  
siasticae pelago, circa  
plerasque materias tot  
tantaeque nascantur controversiae,  
quae istam, si non incertam, atta-  
men dubiam et difficilem efficiunt,  
non mirabitur quis, quod ad Speci-  
men Inaugurale non adeo notam, sed  
plerisque incognitam Dotalium ma-  
teriam mihi elegerim. Multae enim  
et inextricabiles saepe propter Do-

A 2                    tales

tales, uti vulgo vocantur, moventur quaestiones, rusticis non a jurisdictione tantum seculari, sed et quibusvis oneribus, quae in infinitum hodie adaugentur, liberos se et immunes profitentibus, Dominis vero illorum, qui jurisdictione in istos gaudent, omnem exemptionem <sup>incurias</sup> negantibus. Hinc haud raro evenire assolet, ut maximo cum damno agricultae miselli succumbant, nisi instrumentis, vel alio probandi modo in judicio docere queant, se jure singulari a jurisdictione seculari esse liberos, et solius Ecclesiastici Judicis potestati esse subjectos. Considerabo itaque paulo exquisitus ista, quae ad illustris hujus rei explicacionem spectabunt, et omni adhibita opera in id allaborabo, ut prout patientur

tientur vires, ea, quae sunt maxime necessaria, in medium proferre queam.

### S U M M A R I A.

- I. *De Dote Ecclesiarum in genere.*
- II. *De Origine Dotalium.*
- III. *Quare ditantur Dotales.*
- IV. *Quid Dotales Ecclesiae debeant.*
- V. *De Juribus & Privilegiis Dotalium.*
- VI. *De Actionibus contra Dotales, si officium suum negligant.*
- VII. *Qua ratione Dotales esse definit.*

### S. I.

**A**ntequam vero ad specialem Dotalium enodationem accedam, necessarium esse duxi, ut praemitterem aliquid de derivatione hujus vocis. Facile vero quilibet deprehendet, quod vox ista originem sortiatur à Dotte, non proprio, sed impropto accepta. Dos enim in proprio significatu nuptiis est communis, haec vero Dos, de qua mihi hoc loco dicendum est, & à qua appellantur Dotales, ad Ecclesias pertinet. Nec abs re apud Canonistas dicitur, quod Ecclesiis Dos sit constituenta, & institutionem Ecclesiarum matrimonii spiritualis instar se habere, censem. *Anton. Bengeus & Francisc. Binsonius de Beneficiis Tit. de Fundat. Ecclesiar.*

**P. 2. num. 2.** Ex qua denominatione fluif, comparationem, quae instituitur inter spirituale hoc & carnale matrimonium, eosdem fere effectus ratione Dotis constituendae producere. Primo enim quemadmodum Dotis praecipius usus est, ut fructus ejus cedant lucro mariti propter onera, quae ille ferre tenetur. L. 7. ff. de Jur. Dot. l. 20. C. cod. c. 16. X. de Ujur. Simili plane ratione Ecclesiae Dos constituitur, ut oneribus meliori modo sufficiat ferendis. *Petr. Gregor. de Benef.* Onera vero, quae sustinent Ecclesiae, sunt diversi generis; ut enim taceam sumptuum, qui ad reparandas Ecclesias, in eo casu, si vetustate corruptae fuerunt, & eorum, qui ad Altare, Administrationem Sacrae Coenae, Sacrum Ministerium, pauperumque sustentationem erogantur, praecipuum in eo consistit, quod Ecclesia teneatur alere suos Ministros, quod & ipsae sacrae paginae praecipiunt, & imprimis Apostolus inquiens: *Qui Altari inserviunt, eosdem de Altari vivere necesse est.* Per se itaque patet, quod Ecclesia indotata esse non posit. Licet enim ad matrimonium Dos non adeo exacte requiratur, adeo ut etiamsine Dote matrimonium subsistere possit, per expressum textum in l. 11. pr. C. de Repud. ubi Sacratissimus Imperator Rescripto ad Hermogenem Magistrum officiorum dato constituit, ut matrimonia firma maneant, si Dotalia instrumenta non intercesserint, vel Dos data fuerit, tanquam si cum instrumentis Dotalibus tale matrimonium processisset, & elegantissimam addit rationem, quod non Dotibus, sed affectu matrimonia contrahantur. Attamen ex mente Scriptorum Juris Canonici

Canonici Ecclesiastis non posse subsistere absque Beneficiis Ecclesiasticis , ( quas vel praebendas , vel Dotem Ecclesiae vocemus , idem erit , ) verum est . Sed si dicendum , quod res est , judicarem sane & absque Dote Ecclesiastis subsistere posse , & eadem ratione , qua matrimonium maris & foeminae potest esse firmum , sive Dos constituantur , sive non . Sic quoque ad Ecclesiastis & earum fundationem Dotem , uti vocant , non absolute necessariam , sed ut accidens , quod adesse & abesse potest citra rei corruptionem , esse considerandam . Ne vero propria auctoritate aliquid afferere videar , quod tamen tot Celeberrimorum Virorum testimonialis , & judicio sit contrarium , rationes etiam praerendas esse duxi , quibus sententiam meam corroborare . Primaria vero ratio , quae necessitatem illam dotandarum Ecclesiarum absolutam destruit , est haec , quod vera & genuina Ecclesia posset esse sine Templis & Aedificiis consecratis , quod primitiva Ecclesia , & imprimis tempora Apostolorum post mortem Salvatoris nostri luculentissimis exemplis demonstrant , ut ex Historia Ecclesiastica antiqua quilibet facilime deprehendet . Si vero Templis non opus habet vera Ecclesia , nec opus erit Dote . Objicient impugnatores hujus sententiae , non entis nullas esse affectiones , & concessu etiam hoc , quod Ecclesia genuina posset carere Templis , & exinde tamen non sequi , Temples posse subsistere sine Dote ipsis constituta , quia alias Ministri Verbi Divini cogerentur fame perire , & miserrimam trahere vitam . Sed nulla data opera regeretur ad hoc , quod si verum sit , sine Templis posse esse

esse Ecclesiam veram, & Tempia, si ad sint, nullam ad  
 essentiam suam requirere Dotem, sequitur, quod vera  
 sit sententia, quae rejicit absolutam istam constituen-  
 dae Dotis necessitatem. Clamatibunt vero unanimi ore  
 contrariae sententiae defensores; id quod est probandum.  
 Probabo vero, ne officio meo deesse videar; Aut Ec-  
 clesia vera opus habet Dotatione essentialiter, aut non.  
 Si opus habet Dotatione ad essentiam, omnes istae Ec-  
 clesiae, quae sunt & fuerint indotatae, non sunt pro  
 veris Ecclesiis habendae, & consequenter pleraque pri-  
 mitivarum Ecclesiarum erunt falsae, consequenter  
 etiam istae Ecclesiae, quarum mentionem *supra allega-*  
*tus Anton. Bengeus & Francisc. Binsoniūs de Benf. Ec-*  
*ccl. Tit. de Dot. Conſit. §. 2. in fin.* quas indotatas fuisse  
 testantur, erunt falsae; Aut non opus habet Ecclesia  
 vera Dotatione. Et hoc est, quod volebam. Quicquid  
 vero sit, Dotationes Ecclesiarum, si non necessariae,  
 tamen erunt utiles, & imprimis ex eo fundamento  
 maximum emolumentum exinde nascitur Ecclesiae,  
 ut Ministri, & alii, qui Altari inserviunt, certa habe-  
 ant, & stata salario, prout judicat *Celeberr. Ziegell de Da-*  
*te Eccles. C. V. pr.* Reliquas, quae hoc spectant, quae-  
 stiones, cum adeo amplius mihi se offerat campus,  
 merito supersedeo, cum harum paginarum & Dissertationis  
 Compendium non permittat, plura afferre.  
 Consideratis itaque quibusdam momentis, quae in  
 genere ad Dotem Ecclesiarum spectant, ad specialiora  
 descendam.

## §. II.

Imprimis vero de Origine Dotalium disquiren-  
 dum

dum nunc est , quonam tempore Dotales innouerint. Fateor vero ob testimonia , quae nobis desunt historica , non certum posse determinari tempus, quo Dotalium nomen in usu esse coeperit , & non errabo meo quidem judicio, si dicam , eo tempore , quo à Christianis Templa & Sacrae Domus conditae fuerunt , & insimul certos proprios homines fuisse Ecclesiae dicatos , qui Dotem Ecclesiarum , five bona Ecclesiastica colerent , & Ministris Ecclesiae servitia & operas suas praestarent , qui etiam mancipia vocati , ut ex antiquis monumentis , & instrumentis , & inter alia ex illa Caroli Regis de Cessione Bosonis Comitis DCCLXXVII. conscripta apud Nicol. Camuzat. in *Antiquitat. Eccles. Tricasianae pag. 22.* quae pagina verba exhibit sequentia : *Damus ibi duos manjos & dimidium in loco , qui Lericum dicitur , aeterna firmitate largimur , cum mancipientibus quea his annotantur vocabulis Petrus , Eidericus , Ardearius , Florigerius &c. cum eorum Uxoribus , Filiis & Filiabus , cuius rei exempla etiam Tradit. Fuldenf. C. 1. de Wilibaldo Episcopo Fuldenf. & aliud e Goldasti Antiquitat. Alemann. Tom. 2. Part. 1. num. 24. allegat Celeb. Ziegler. d. Tr. qui magno eruditioinis apparatu rem istam ex antiquitate Germanorum deduxit. Ad Dotes itaque Ecclesiarum etiam servos , & mancipia , de quibus jam dixi , pertinuisse , quin immo tam arctum inter Ecclesias & homines Ecclesiae dicatos , & proprios fuisse vinculum , ex eo maxime licet colligere , quod glebae , cui se devoverant , ita erant incorporati , ut ab ea Dominorum auctoritate non poterant avelli. Qua occasione examinabo , an*

B

mancipia

mancipia ista cum servis propriis dictis convenient  
in omnibus, an vero in quibusdam solum effectibus.  
In hac subtilissima controversia, cum nesciam, quam  
nam eligam viam, & quam sententiam defendam,  
tutissimam sequar viam, & probabilem eorum puto  
sententiam, qui censem, revera servos fuisse ista  
mancipia, quae Ecclesiis mancipata erant. Sed ne  
simpliciter aliquid statuere videar, quod tamen cum  
grano salis accipiendum est, imprimis hic distinguen-  
dos esse puto servos & mancipia Ecclesiarum, qui ante  
& post tempora Caroli M. Imperatoris, usque ad  
istud tempus, quo servitutes inter Christianos abro-  
gatae fuerint, Ecclesiis operas praestiterunt, ab ipsis,  
qui post illa temporalia hominum proprietatum, vel gle-  
bae adscriptitiorum nomen acceperunt Hujus senten-  
tiae fundamentum imprimis in hoc pono, quod dicta  
mancipia omnia Ecclesiae acquisiverint; quod appa-  
ret exinde, quia, si verum est, quod cum omnibus,  
quacunque possederint bonis, tradita fuerint ista  
mancipia Ecclesiis, hinc sequitur, quod omnia acqui-  
siverint Ecclesiis. Quod vero non solum se, sed &  
nummos, & omnia immobilia in perpetuum dicave-  
rint aedibus sacris, hoc imprimis ex ante alleg. Gold An-  
tiq. Alemann. ibique allato exemplo, verbis: *Et ser-  
vum meum nomine Nkidenus & Uxorem eius Brunum, &  
cum Oba sua, & cum omnibus, quibus vestiti sunt &c.*  
In hac antiquissima donationis charta vox *Oba* mea  
quidem sententia nihil aliud denotat, quam Germani-  
cam vocem *Huabe*, quae tam barbare a Scriptoribus  
istius temporis pure scribendi rationis expertibus u-  
surpata fuit.

§. III.

De Origine Dotalium cum dixerim, videndum etiam est, quare dicantur Dotales. De significatione vero supra §. I. aliquid dictum est, & nemo dubitabit, quod a Dote appellantur Dotales. Ne vero sermone de Dotalibus, omissa definitione Dotalium faciam, hanc hoc loco adjiciendam esse judico. Dubius vero haereo, quomodo eos describere velim, cum non unum genus inveniatur Dotalium, sed plura dentur ejusmodi horum generum. Describi vero possunt, quod sint personae, quae agris Ecclesiae colendis destinatae sunt. Quae descriptio Dotalium est propria: Abusive vero etiam interdum accipiuntur pro illis, qui quovis titulo Ecclesiastico praedia possident, aut levissimum aliquod & exiguum servitium Parochio praestant, aut censum tantum aliquem, satis tenuem saepe, & parca manu solvunt; quae definitio est jam saepius memorati Ziegler. d. Tr. Vocantur vero Germanice Dienst- und Frohn-Leute derer Pfarrer, quae appellatio a cultura agrorum, & servitiis, quae praestant Parochis suis deducitur. Illorum quatuor Classes dari, ex ipsa naturae rei liquet; Aut enim Ecclesiae & Parochi habent Dotales operis Ecclesiasticis addictos, qui tenentur operam & diligentiam in cultura praestare, quorum mentionem facit Ordin. Eccl. Sax. Elez. Art. gen. 27. quae inserta est Corpori Juris Saxon. Elez. verbis: Dieweil an etlichen Orthen von den lōblichen Vorfahren, alten Herrschaffien, oder Collatoren zu denen Pfarrer-Dotales, das ist, Dienst- oder Frohn-Leuthe verordnet, auf daß die Pfarrer Leuthe zu Diensten ha-

ben, und ihre Güther desto besser und geruhiger bestellen können, sollen durch jedes Orthes Obrigkeit, und Visitatores die Leuthe vermahnet werden, solche Dienste willig und gerne ihren getreuen Seelsorgern zu lassen; Aut ipsi posident fundum Dotalem, & hi Emphytevtarum nomen optimo jure accipere possunt. Licet enim dubium, an Emphytevisis rerum Ecclesiasticarum sit licita, cum alienationem bonorum Ecclesiae Constantiopolitanae majoris prohibuerit Leo Imperator Nov. 43. § 55. alienationis vero instar sit Emphytevisis per Nov. 7. c. 1. v. alienationis. Cum vero Ecclesiis & locis venerabilibus omnibus, ut res suas in Emphytevisin perpetuam concedere possint, permisum sit, Nov. 120. c. 6. in pr. & Jure Canonico res sit clarior, cum expressis verbis dicatur in Clem. 1. & 2. de Reb. Eccles. non alienand. quod res Ecclesiasticae solemnitatibus legitime adhibitis alienari possint, per consequentiam multo magis in Emphytevisin concedi. C. ad aures 7. de Rebis Eccles. Alienat vel non; quod latius explicatur a Celeb. Franzk. in Tr. de Laudem. c. IX. num. 43. seqq. exinde certi juris est, quod isti, qui certum censum vel servitia praestant ob rerum Ecclesiasticarum possessionem veram acquirant Emphytevisin. Tertium genus Dotalium est eorum, qui emerunt praedia & bona Ecclesiastica, & exinde mansum Ecclesiasticum sibi proprium & hereditarium faciunt, ejusque dominium & possessionem nanciscuntur, non vero de omnibus omnino bonorum Ecclesiasticorum emtoribus hoc poterit dici, sed de iis, qui Ecclesiae praestant aliqua servitia & annum censem in memoriam

Dotis

Dotis constitutae. Et hinc hoc tertium genus tota  
coelo differt a secundo Dotalium genere; hic enim  
dominium & possesio corporalis transfertur per em-  
tionem venditionem, ibi vero dominium & posses-  
sio stricte sic dicta manet penes Ecclesiam; quare et-  
iam non errabo, si dixerim, illorum bona esse Em-  
phytevtica, horum vero Censitica. Cum enim praef-  
statio anni Canonis cum translatione Dominii utilis  
efficiat Emphyteusin, si etiam in re minoris pretii  
consistat. §. 3. J. de Locat. l. t. & seqq. C. d. t. & Harpr.  
ad §. 3. Emphytevsis. Censitica vera bona sint, quando  
dominium rei alteri sub hac conditione conceditur,  
ut quotannis certum censum praestet. Struv. Syntagm.  
Jur. Feud. c. 10. th. 2. num. 1. & dominium in bonis  
censiticis transeat plenisime in censuarium, in Em-  
phytevsi saltem utile. Carpzov. P. II. c. 29. def. 1. Restat,  
ut dicatur etiam de his, quia Superiore suo Ecclesiae  
ejusque Ministris addicuntur, & veluti mancipantur,  
ut non amplius Principi vel alii Superiori, sed Eccle-  
siae servitia praestent. De quibus omnibus prolixo  
Ziegler. l. c.

## §. IV.

Ex istis, quae jam dicta sunt, facile deprehendi  
potest, quaenam sit obligatio inter Ministros Eccle-  
siae, & eos, qui servitia sua iis praestant. Supra enim  
& quidem §. praeced. dictum, quod Dotales vel ad a-  
griculturam Parochorum obligentur, & huc spectat  
lex, quae ex Ord. Eccl. Sax. Ele&t. §. praeced. allegata  
est, vel obligantur ad canonem, vel certo servitia ex-  
hibenda

hibenda , vel ad annum censum , vel denique toti Ecclesiae addicti & mancipati sunt.

## §. V.

Videndum vero est , quibusnam Privilegiis gaudent Dorales , & an omnium eadem sit conditio , an vero diversa obtineat ratio . Quod prius attinet , maximum illorum commodum in eo consistit , quod non sint subjecti jurisdictioni ordinariae , sed quod coram Consistorio Ecclesiastico sint conveniendi . *Carpov. L. 2. def. 357. num. 7.* & specialissime hoc extenditur a Schilier . in Praxi Jur. Rom. Exerc. 6. th. 24. inf. qui censet , inferiorem jurisdictionem in Dotalis non competere Domino loci , in quo Ecclesia est parochialis , sed Parocho ; Ratio , quae ipsis hoc singulare jus tribuat , se fundat in eo , quia isti homines sint portio patrimonii ipsius Ecclesiae , ut bona , quibus adscripti sunt , ergo Ecclesiasticorum quoque bonorum Privilegiis gaudere debeat , *Gonzalez Tellez ad c. 10. de offic. Archidiac. n. 4.* quod licet ad Dotalis antiqui temporis , quo servorum , vel hominum priorum nomine utebantur , videatur solum pertinere , attamen etiam ad hodiernos Dotalis maxime spectat *Ziegler. a. T. c. 12. §. 39. Confer. Bobumer. Jus Ecclesi. protestant. L. 2. T. 2. §. 45. Idemque de Jure Parochiali Scđt. V. c. 2. §. 23.* Hoc vero dubium posset videri , an omnes , quos Dotalis appellari supra demonstravi , foro Ecclesiastico gaudeant . Pro ratione dubitandi posset afferri , quod non omnium Dotalium sit una eademque conditio , sed quod quidam

dam Ecclesiae operas praestent, quidam vero non; quemadmodum de his, qui bona Ecclesiastica ut Cen-  
sitica possident, satis abunde dictum est. §. III.  
Hoc vero non obstante firma tamen manet opinio,  
quod omnes simpliciter Dotales ad forum privilegia-  
tum pertineant, & quod coram foro seculari vel or-  
dinario plane non possint conveniri, optime tamen  
convenire alios. A minori ad majus etiam hic va-  
lebit argumentum: si enim forum privilegium ad  
Clericorum famulitum extenditur, multo magis ad  
Dotales, inter quos & Ecclesiam specialis intercedit  
nexus. Prius est verum ex communi Dd. sent. Heig. 2.  
qu. 22. n. 25. Wesenb. Consil. 50. n. 22. Gail. de P. P. Pe-  
rez. in C. ubi Senatores in f. Clar. Q. Crim. 35. §. num quid.  
Natta. 3. 576. Gothofr. Prax. Civ. L. I. T. 6. p. 417. Er-  
go & posterius. vid. Schilt. Insti. Jur. Canon. L. I. T. 18.  
§. 8. sed hoc etiam non omittendum, quod licet Do-  
tales, aut Emphytevtae forum fortiantur privilegia-  
tum, tamen non sint exempti a Superioritate Domi-  
ni secularis. Klock. 1. Consil. 10. 589. Maxime vero  
notandum, quod nec praeventione Judicij secularis lo-  
cum habeat, quae plane non attenditur, ut loculen-  
tissime videri potest ex Responso a Scabinatu Vitem-  
bergeni ad interrogationem Judicij Pfaffengrünensis  
M. Martio 1678. dato, quod recenset Berger. in Suppl.  
ad Elez. Disc. For. p. 23. verbis: Dennoch aber, und die-  
weil diese Sache einen Dotalen betrifft &c. so erscheinet  
dannenhero allenthalben so viel, daß der Gerichts-Herr  
in dieser Sache vor dem Geistlichen Consistorio sich zu stel-  
len und daselbst Recht zu nehmen verbunden. V. R. W.

§. VI.

## §. VI.

Dictum itaque est, quod Dotales Privilegiis utantur amplissimis; dicendum nunc venit paucissimis verbis, quibusnam Actionibus possint conveniri, si officium suum negligant. Et in hac re pro diversitate Dotalium etiam diversas competere actiones judico. Aut enim actione praejudiciali ex jure personarum erunt convenienti, si negent, se esse tales; aut actione confessoria utili; aut actione Emphytevticaria, aut aliis actionibus tam personalibus, quam realibus.

## §. VII.

Quemadmodum vero Dotales variis modis conditionem Dotalium accipiunt, vel donatione, vel venditione, quando praedia cum hominibus propriis venduntur, vel libera voluntate, si quis Ecclesiae se suosque addicere velit, tunc enim quod ab initio liberae voluntatis erat, ex postfacto necessitatem & obligationem infert; sic etiam desinunt esse tales variis modis. Poteſt enim haec conditio ipsorum tolli manumissione, quae & adhuc hodie in uero est, quoties aliquis coram Magistratu liber declaratur, *Hoppius in Comment. ad Inst. L. T. s. pag. 51.* ubi mentionem facit Diplomatis, quo Ferdinandus III. Imper. A. MDCLII. Academiam Kilonensem confirmavit, & in quo Rectori ejusdem Academiae potestas concessa, manumissionibus quibuscumque cum vel sine vindicta auctoritatem suam interponendi. *Vid. d. Diploma apud Ern. Gökel in Delic. Acad. §. 32.* quod vero non generalliter

[17]

liter accipi vellem, sed eorum proprium esse puto,  
qui ab antiquis temporibus Ecclesiae quasi mancipati  
sunt, & hominum priorum conditionem acce-  
pturnt. Tollitur porro obligatio Dotalium praescri-  
ptione, sed immemorialis temporis, & quidem talis,  
qua bona fide facta fuit, alias enim nullius est effe-  
ctus. Et pluribus aliis modis, quos hic silentio  
praetereo. Et hoc erat, quod de illustri  
hac materia dicendum  
judicavi.

## T A N T U M.



C

ADDI.



## ADDITAMENTA.

I.

**D**onatio ad pias causas , quatenus 500. aureos excedit , sine insinuatione invalida est.

II.

Donatio inter vivos omnium bonorum præsentium & futurorum subsistere potest.

III.

Cessat remedium *l. 2. C. de resc. vend.* si sciens verum rei pretium minoris vendat vel emat.

IV.

NS (o) E

IV.

Exceptio Scti Macedoniani per  
reunionem filii haud tollitur.

V.

Exceptio Scti Macedoniani post  
sententiam demum opposita, ejus  
executionem impedit.

VI.

Vassallus ad aes alienum Domini  
solvendum non tenetur, etiamsi Do-  
minus juramento se obligaverit, nisi  
forte in utilitatem Vassalliae aes alienum  
contra dictum.

VII.

Locator conductori restituere  
debet impensas in rem conductam  
ad utilitatem perpetuam factas, abs-  
que distinctione inter magnas & mo-  
dicas.

C 2

xx

33 (o) 66

III.

A successione ex Edicto: unde  
vir & uxor, excluditur maritus, qui  
uxorem suam occidit, licet in adulterio  
deprehensam.

IX.

Recte cum Wesenbecio negatur,  
hominein relaxare posse juramen-  
tum.



**ULB Halle**  
001 972 26X

3



S. 6.







8948  
S. G. num. 10  
1716, 23

DISSESSATIO<sup>9</sup> INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**DOTALIBUS**  
**ECCLESIAE,**  
von  
**Pfarr-DOTALEI**  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**PHILIPPO WILHELMO,**  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,  
SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUN-  
TINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MG-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE  
EFFURTENSIS PRO-PRINCIPE,  
AUTORITATE ET CONSENSU AMPLISS. FACULT. JURIDICÆ,  
SUB MODERAMINE  
**DN. ERNESTI TENZELL, J.U.D.**  
FACULTATIS JURIDICÆ p. f. DECANI, JUDICI PROVINC. ADSESSORIS,  
AC CIVITATIS ERFURT. CONSULIS, ET SYNDICI PRIMARII ETC.  
PATRONI AC PROMOTORIS SINGULARITER COLENDI,  
PRO LICENTIA,  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, IMMUNITATES,  
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI,  
IN AUDITORIO FCTORUM MAJORI,  
HORA VII. MATUT. DIE XIX. MENS. OCTOBris, A. Æ. G. MDCC XVI.  
SOLEMNITER VENTILANDAM PROPONIT  
AUCTOR  
**M. ANDREAS Pechtel/ Weichau Lusat.**  
—  
ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPGR.

KÖNIGLICHE  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE